

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Obligatione Matrimoniali secundum Legem Naturae

Wernher, Johann Balthasar von

Lipsiae, 1698

§. XIII

urn:nbn:de:bsz:31-102612

pueritiae; & cum decl. 2. Senem maritum genus infirmisima servitu-
tis vocat; Et, quia in tam diversa aetate multum etiam utriusque ge-
nerandi facultas discrepat, inde plerumque lites inter conjuges ena-
sci solent. Conf. Arist. 7. Polit. c. 16. Idem ob rationis paritatem
de conjugio vetula cum alacri juvene pronunciandum est. Sed quid
de Senis cum vetula matrimonio dicendum est? An repugnabit Juri
Nat.? Id vero vel propterea dici non potest, quod generandi facul-
tate non semper, neque simpliciter dici queunt destituti provec-
tatis homines. Finis autem minus principalis, mutuum nimirum
adjutorium inter personas parvis aetatis, utur senes, suaviter exerceri
potest; & talia matrimonia honoraria dici posse videntur. Pufend.
de J. N. & G. L. VI. C. 1. §. 25. Ob defectum facultatis generandi
absolutum merito etiam castrati matrimonio areentur, utpote quo-
rum impotentia perpetua est, & incurabilis, & experientia docet,
in consuetudine conjugali plus ipsos Veneris stimulos incendere,
quam sedare; quod placido conjugendorum commercio repugnat,
& variarum itidem litium origo est. Aliud dicendum de Spadoni-
bus, quibus ob spem recuperandae generandi virtutis matrimonium
contrahere integrum omnino est. Conf. Illustr. Dn. Stryk, ad Brun-
nem. Jus Eccl. l. 2. c. 17. §. 2.

§. XIII.

Competit autem ex jure natura: cuique libertas matrimonium
ubicunque ambiendi & contrahendi; obvenire autem iuxta rationes
queunt, ob quas a jure civili libertas haec restringatur. Ita ne il-
lustribus familiis paulatim splendor detrahatur, cum plebejis & vi-
lioribus matrimonium interdici potest. Cum exteris etiam conju-
gium saepenumero prohibetur, & quidem vel hoc modo, ut non
permittatur, feminam exteram uxorem ducere, ne nostris, qua-
rum magna copia, nubendi conditio pereat, aut saltem difficilis red-
datur; vel ut maritum peregrinum quaerere interdicator, ne cum
affectu opes regionis nostrae ad alias devolvantur. Interdum etiam
permittitur quidem tale matrimonium, sed certis effectibus civili-
bus carere jubetur. Quiritur autem: An ita circumferri libertas
hac possit, ut catui alterutrius sexus vel expulso; vel ampliores sedes si-
bi liberè quaerant matrimonium à certo populo cum ipsius vel feminis

D

vel

vel viris interdici queat? Ut si virorum vel Amazonum populus certo loco confedisset, vicinorumque conjugium ambiret? Distinguendum verò hic omnino puto, an aliunde matrimonium impetrare possit, an verò ab hac spe omnino exclusus sit? Priori casu, interveniente earum causarum, quas supra indicavimus, aliquà, vel justà alia, denegari matrimonium potest; Cùm ex affectu & intuitu amicitiae regulariter iniri debeat. Posteriori autem verius existimem, arceri ipsum ab hac libertate non posse. Cogeret enim sic una gens alteram in coelibatu vivere, h. e. naturæ adversari. Is enim plerumque hominum naturæ repugnat, *Grot. de J. B. & P. L. II. cap. II. §. 21. &*, cùm vires sunt integræ, non nisi excellentibus animabus convenit. *Pufend. de J. N. & G. L. III. c. III. §. 13. p. 379.* Qui autem alterum adigit, ut vim naturæ inferat, is in jus naturæ utique manifestè pugnat. Nec efficit quicquam, quòd consuetudo conjugalitatis ex amicitia & affectu proficisci debeat. Id enim fit ordinatè & regulariter, cùm mariti vel uxores aliunde haberi queunt. At enim aliud hoc nostro casu supponimus. Et profectò insigne crudelitatis atque invidiæ specimen foret, mediante tali prohibitione, efficere, ut brevi tempore integer populus extingvatur. Quid verò, si conjugium de factò denegetur? Si interposita querela nihil proficiat; licebit jus hoc bello vindicare. Neque hinc ad ejus justitiam, cum *Pufendorffio* requirimus, ut contumelia repulsæ adjecta fuerit, sed sola matrimonii denegatio facit per se ob rationes antè expositas licitum hoc bellum. Neque in hoc necessitatis casu interest, velint ultrò an nolint fœminæ illis viris & vice versâ conjungi; Salus enim Reipublicæ non patitur, ex solo affectu semper matrimonia contrahi, sed utilitatis etiam communis sæpe rationem haberi desiderat. *Conf. Bæcl. ad Grot. L. II. c. II. §. 21.*

§. XIV.

Forma, quæ conjugio essentiam largitur, est consensus matrimonialis mutuus. Quamprimum ergo mas & fœmina in individuum adiutorium, cum voto procreandi liberos conjunctam consenserunt, matrimonium plene constitutum est. Corporum igitur conjunctio ad prolem directa non est matrimonii essentielle, sed illud constitutum sequitur; quamvis in ipso consensu potentialiter requi-